

DISQUISITIO VI.

De Novissimis.

PROOEMIUM.

1. In omnibus operibus tuis, ait Spiritus sanctus in Ecclesiastico, *memorare novissima tua et in aeternum non peccabis* (1). Verba quidem salutaris poenitentiae fructibus plena ex quibus et necessitas et utilitas praesentis hujus disquisitionis elucet. Cum enim necessarium sit omnibus hominibus peccatum vitare ut beatitudinem adipiscantur, necessarium ipsis erit ea credere, cognoscere et meditari, sine quibus cognitio et perpensis, homines fragilitati naturae obsequentes praecipites in omne vitiorum genus ruent. Hinc certe nihil iis utilius esse potest, quorum consideratione aeternum supplicium effugiunt, summam vero, jucundissimam et inamissibilem felicitatem merentur. Nomine *Novissimorum* veniunt tum illa, quae singulis hominibus e vita decedentibus, ultima accidunt, tum illa alia, quae in saeculorum consummatione, mundo, ipsique hominum generi futura sunt. De his agit D. Thomas in Suppl. a Q. 69, ad Q. 99, eo ordine quo novissima eventura sunt. Novissima hominis recensentur: mors, iudicium, infernum, caelum; ut enumeratio sit in praesenti statu completa, sub inferno Purgatorium et puerorum Lymbus comprehenduntur. Novissima vero mundi sunt: mundi conflagratio et renovatio; resurrectio mortuorum, iudicium universale et aeternum Christi regnum.

(1) VII, 40.

CAPUT I.

De novissimis hominis.

ARTICULUS I.

De morte et iudicio particulari.

THESIS I.

Omnes homines in poenam peccati mortem obituri sunt.

2. *Nota.* I. Mors est vitae privatio, seu cessatio, quae contingit cum anima, quae est corporis humani forma substantialis, ab ipso separatur. Sicut triplex distinguitur vita, ita triplex mors in Scriptura et SS. Patribus recensetur. Vita naturalis et physica, cui opponitur mors proprie dicta seu naturalis, quae dicitur, prima; vita gloriae, cui damnatio, mors aeterna, secunda dicta, respondet; vita gratiae, quae destruitur peccato gravi, quod dicitur mors animae.

II. Thesis habet duas partes: in una asserimus mortem contingere hominibus in poenam peccati, eo sensu, quo nullus moreretur si non esset peccatum, non tamen eo sensu, quo omnes moriantur propter peccatum proprium, cum B. Virgo et praesertim D. N. Jesus-Christus peccatum non habuerint. In altera dicimus omnes homines morituros esse. Primum negarunt Pelagiani dicentes ut refert Augustinus (1). «Mortem non esse in genus humanum introductam per praevaricationem Adae.» Secundum, quoad aliquos et ex speciali Dei providentia, aliqui PP. praesertim graeci negare videntur. Quoad primam partem est omnino de fide; quoad secundam, si intelligitur per se et de lege ordinaria, etiam est de fide, sed si intelligitur absolute de omnibus omnino, ut nos intelligimus in thesi, dicit Suarius (2). «Aliqui putant esse de fide, alii ita certam, ut contraria sit temeraria» et rejectis his opinionibus addit. «Modestius mea sententia loquuntur, qui ab omni censura abstinentes sese, posteriorem sententiam (nostram) probabiliorem ac simpliciter veram arbitrantur esse.»

3. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ex concil. Milevitano, cui Augu-

(1) Epist. 106.—(2) De myst. vit Christi D. 50, sec. 2, n. 8.

stinus interfuit ab Innocentio confirmato (1): «Quicumque dicit: Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore; hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit.» Ex Concil. Tridentino (2): «Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse... aut... mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfundisse, non autem et peccatum, quod mors est animae; anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti (3). *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.*»

2.º Ex Scriptura ut nuper Concil. Tridentinum. In Genesi (4) legimus: *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Sapientia (5) docet: *Deus creavit hominem inexterminabilem et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Brevissime Paulus (6): *Stipendia peccati mors.*

3.º Patres hanc veritatem testantur. v. g. S. Augustinus (7). «Post peccatum exul effectus (Adam), stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis et damnatione obstrinxit.»

4.º Ratione: Malum quod infligitur a legislatore propter transgressionem praecepti seu peccatum est poena. Sed ita mors a Deo est ordinata. Ergo. *min.* prob. Quia licet homo intrinseca conditione sua mortalis sit, tamen ut probatum est ubi de statu primi hominis (8), Deus voluit hominem in statu altiori, quam ex vi naturae illi deberetur condere, et legem statuit illum in perfecta rectitudine justitiae et immortalitate conservandi quamdiu ipse homo libertate sua Dei praeceptum non transgrediretur. Ergo mors in praesenti statu est peccati poena.

4. II.ª Pars. Prob. Ex Genesi (9): *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Sed in persona Adami mors omnibus indicitur, sicut et labor. Ergo. Ex epist. ad Romanos, ut in prima parte, ubi expresse asseritur mortem in omnes homines pertransire et quidem sicut peccatum. Sed vox omnes per se universalitatem indicat, et peccatum omnes excepta B. Virgine Mariâ omnes contrahunt. Ergo. Ad Haebreos (10): *Statum est, hominibus semel mori,* ait Paulus, nullum excipiens.

(1) An. 416, can. 1.—(2) Sess. 5, can. 2.—(3) Rom. V, 12.—(4) II, 17.—(5) II, 23, 24.—(6) Rom. VI, 23.—(7) Enchir. c. 25.—(8) Disq. II, Thes. X.—(9) III, 19.—(10) IX, 27.

2.º Ex PP. S. Augustinus (1). «Nescit homo quando vel ubi vel quomodo moriatur, et tamen certum est quod eum mori oporteat.» S. Gregorius (2): «Cum certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitae providentia incerta cogitare.»

3.º Ratione a) Mors est effectus physicus constans, ubique et in diversis adjunctis, ut experientia patet. Ergo legem indicat universalem, ac proinde omnibus adfutura est.

b) Ut homo vivat, apta indiget corporis dispositione. Atqui haec dispositio non potest non aliquando perturbari. Ergo. *Minor.* prob. Corporis dispositio continuo exposita est variis causis tum internis tum externis, quarum actioni resistere debet. Sed impossibile est ut ipsis aliquando non cedat, ut recte animadvertit D. Thomas (3). «Determinatur quibusdam rebus virtus ad manendum tempore determinato, in quantum impediri possent ne percipiant influxum essendi, qui est ab eo (i. e. Deo) ex aliquo contrario agente, cui finita virtus non potest resistere tempore infinito, sed solum tempore determinato.»

c) Cum D. Thoma (4): «Securior est haec et communior opinio, quod omnes morientur propter tria, primo quia magis concordat divinae justitiae, quae humanam naturam pro peccato primi parentis damnavit, ut qui per actum naturae ab eo originem ducerent, infectionem peccati originalis contraherent et per consequens morti debitores essent. Secundo quia magis concordat divinae Scripturae quae omnium futuram resurrectionem praedicit. Resurrectio autem proprie non est nisi ejus, *quod cecidit et dissolutum est*, ut Damascenus dicit (5). Tertio quia magis concordat ordini naturae, in quo id quod corruptum et vitiatum est in suam novitatem non reducit nisi corruptione mediante. Sic v. g. ex aceto fieri non posset vinum nisi aceto corrupto... Unde cum natura humana in defectum necessitatis moriendi devenerit, non erit reditus ad immortalitatem nisi mediante morte.»

d) Tandem Christus et Maria Virgo mortui sunt propter peccatum originale aliorum. Ergo a fortiori debent hanc poenam subire omnes, qui cum illo infecti nascuntur.

5. Obj. 1.º Mors quam Deus comminatus est Adae ea est mors, quam die peccati sui obiit ut constat ex Genesi (6): *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed haec non fuit mors corporis, sed animae. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* quam die peccati sui obiit actu vel debito; conc. Tantum actu; neg. et contradistincta *min.* etc. v. Sensus enim illorum verborum est, ex illo die eris mortalis, incipies mori, ut ait

(1) *Soliloq.* c. 2.—(2) Homil. 13, in Evang.—(3) I, Q. 104, a. 4, ad 2.—(4) Supplem. Q. 78, a. 1.—(5) L. 4, de Fide, c. ult.—(6) II, 17.

Suarius (1): ratio est, quia propter peccatum «eo quippe die »mutata in deterius est vitiatque natura, atque a ligno vitae »separatione justissima, mortis etiam corporalis necessitas facta »est (2).»

Obj. 2.^o Deus auctor est poenae qua punit peccatum: Sed non est auctor mortis quoniam *Deus mortem non fecit* (3). Ergo mors non est poena peccati.

Resp. Conc. *maj.*; neg. *min.* Ad testimonium allatum respondetur: a) Aliquos interpretes illud intelligere de morte animae ac proinde non esse ad rem. b) Cum communiore sententia, cui adhaeret Suarius, explico sensum per distinctionem. Deus mortem non fecit in prima hominis institutione, speciali privilegio, eum creans immortalem, conc. In praevericatione Adae puniens ut Iudex et auferendo immortalitatem; neg.

Obj. 3.^o Mors est homini naturalis. Sed quod homini est naturale non est poena peccati. Ergo mors non est poena peccati.

Resp. Dist. *Maj.* Est naturalis homini secundum se et seorsim a beneficio Dei gratuito; conc. In sensu composito illius beneficii neg. N. Dist. etiam *min.* Quod homini est naturale non est poena peccati, si non supponatur impeditum per gratuitum Dei beneficium; conc. Si impeditum supponatur neg. *min.* et *conseq.*: Quia licet mors non sit poena homini secundum se, tamen poena est illi, postquam Dei beneficio constitutus fuerat a morte immunis, si non peccaret: sicut Sauli ante promotionem ad regnum, poena non erat carere regia dignitate; sed postquam creatus est rex, poena fuit ei privari regia dignitate propter inobedientiae peccatum.

Obj. 4.^o Nonnulli PP. Graeci asserunt non omnes homines esse morituros. Sic S. Chrysostomus (4): «Non omnes quidem »moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non moriuntur; »nam illi quoque sunt mortales... Sunt enim... aliqui qui hoc effugient, et tamen hoc eis non sufficit ad illam resurrectionem; sed »oportet illa quoque corpora, quae non moriuntur, immutari et »transire ad incorruptionem.» Ergo...

Resp. 1.^o Conc. *antec.* et Chrysostomi auctoritatem, sed nego *conseq.* Nam contrarium affirmant generatim PP. Latini et DD. Catholici cum D. Thoma locis citatis, et De malo, Q. IV, ar. 6 ad 1: «Huic enim sententiae, quae asserit omnes morituros »esse, nemine excepto, Ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam »magis veritati convenire, scriptum reliquit S. Hieronymus (5) »idem sentit et S. Augustinus (6).»

(1) De op. sex dier. L. 3, c. 14, n. u.—(2) Augustinus. De civ. L. 13, c. 23.—(3) Sapient. 1, 13.—(4) Homil. 42, in I ad Corinth. n. 2.—(5) Epist. 152.—(6) De Civit. L. 20, c. 20. Ita loquitur catechis. Trident. P. 1, a. 11, n. 8.

Resp. 2.^o Non deesse aliquos, qui Patres illos exponant de morte diuturna, non vero de brevissima i. e. quae parum duret.

Obj. 5.^o Ex Scripturis, quae PP. Graecos in sententiam nostrae contrariam induxerunt. In I.^a ad Corinth. (1) graece legitur «Ἰδοὺ μυστήριον ὑμῖν λέγω πάντες μὲν οὐ κοιμηθήσονται, πάντες δὲ ἀλλαγήσονται» latine vertitur «Ecce, mysterium vobis dico: omnes quidem non »dormiemus, omnes tamen immutabimur.» Sed juxta hanc lectionem non omnes debent mori. Ergo.

Resp. 1.^o Hanc lectionem esse dubiam ipsis codicibus graecis inspectis, quorum aliqui hanc etiam habent nostrae vulgatae conformem «πάντες μὲν οὐ κοιμηθήσονται, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγήσονται» latine «Omnes quidem igitur dormiemus sed non omnes immutabimur» intellige gloriose, quae ut patet non differt a vulgata latina auctoritate Ecclesiae recepta, nisi in ratione mortem vel resurrectionem significandi. Hanc lectionem absolute tribuit codicibus graecis. S. Augustinus epist. 205, al. 45, n. 14 ad *Consentium*. S. Hieronymus, in epistola ad *Minervin.* et *Alex.* dicit eam a S. Didymo Alex. inter graecos Patres esse receptam, et inveniri in codicibus graecis. Eam etiam habent aliqui codices vetustiores, quos litteris majoribus designant Sacrae Scripturae interpretes, ut codices N. C. F. G. Hinc cum textus quibus asseritur omnium mors vel resurrectio sint absoluti et certi, et hic prout objicitur non sit certus, versioni auctoritate Ecclesiae receptae. (cujus auctoritas critica magna est, et certe nunquam parvi facienda) contrarius, potest probabiliter responderi: hunc textum non esse genuinum, et posse probabiliter rejici.

Resp. 2.^o Admissa lectione objecta, quam admittendam esse ut probabiliorem nonnulli interpretes volunt (2), Dist. Non dormiemus diuturno mortis somno sicut aliquorum cadavera dissoluta in sepulchris jacent; conc. Nec levissimo mortis somno; neg. Ait. enim S. Ambrosius (3) de postremis hominibus loquens: «In »ipso rapta mors praevenit et quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur, cum enim tollentur, morientur.»

Inst. Ex eodem Apostolo (4) qui ad Thessalonicenses *Nos qui vivimus... non praeveniemus eos, qui dormierunt... et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Ergo aliqui mori non debent.

Resp. Neg. *conseq.* Huic enim textui explicatio S. Ambrosii, in responsione secunda objectionis praecedentis data, optime ac-

(1) XV, 5.—(2) Certam vult P. Cornely. comm. in epist. ad Cor.—(3) In ep. ad Thessalon. I c. IV.—(4) I.^a IV, 14-16.

commodatur, eam approbat cathecismus concilii Tridentini loco supra citato: «Neque vero huic sententiae repugnant Apostoli verba ad Thessalonicenses scripta: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquitur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera;* » nam sanctus Ambrosius, cum ea explanaret, ita inquit: In ipso raptu, etc. » D. Thomas (1) ait: «Probabilius et convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperiuntur, moriuntur et post modicum resurgent, ut in tertio libro plenius dicitur,» i. e. in tertia parte, quam absolvere felici morte praeventus non potuit. Praeterea scopus Apostoli proprie erat ostendere homines postremos non esse praeventuros eos, qui jam multo antea mortui fuerant, sed omnes simul obviam ituros Christo D. post simultaneam omnium resurrectionem, ut dicit D. Thomas (2): «decimo quinto die omnes moriuntur et resurgent cum mortuis longe ante defunctis.»

Obj. 6.º Eliam et Henoch non mortuos esse indicat Scriptura (3) et Paulus ad Hebraeos (4) ait: «*Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.*» Hinc S. Augustinus (5) «*Quare Eliam et Henoc non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere.*»

Resp. Non mortui sunt, sed deinde sunt morituri; conc. non mortui sunt nec deinde in fine mundi sunt morituri; neg. Censent, enim, plures Patres et theologi eos in conflictu cum bestia mortem esse appetituros juxta illud Apocalypsis (6). *Dabo duobus testibus meis... et cum finierint testimonium suum, bestia... faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos.* Hinc Tertullianus (7). «*Nec mors eorum reperta est, dilata scilicet, caeterum morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo extinguant.*» Interea, in gratia confirmati, dies extremos expectant.

Obj. 7.º Paulus ad Timotheum (8) ait de Christo: *Qui judicaturus est vivos et mortuos.* In Symbolo profitemur: «qui venturus est judicare vivos et mortuos.» Sed haec ad ipsum iudicii tempus referri nequeunt, quia tunc erunt omnes vivi. Ergo ad tempus praecedens referantur oportet; ac proinde non omnes ante iudicium moriuntur.

Resp. Varie solvunt auctores hanc difficultatem, ut videre est apud Suarez (9): solutio probabilior juxta Suarium est nego *min.* nam haec verba, Christum esse iudicem vivorum et mortuorum, venturum judicare vivos et mortuos respiciunt illud tempus in quo fidem profitemur: vivos ergo eos appellamus, qui nunc

(1) 1, 2, Q. 81, a. 3 ad 1.—(2) Suppl. Q. 73, a. 1.—(3) Genes. V, 24, 4; Reg. II, 11.—(4) XI, 5.—(5) De pecc. origin. L. 2, c. 24.—(6) XI, 3, 7.—(7) De Anima c. 1.—(8) II, IV, 1.—(9) De myst. v. Christi D. 50, sect. 2, n. 6.

vivimus; mortuos vero qui nos praecesserunt. Etiam secundo potest responderi cum D. Thoma (1). Explico sensum vivos h. e. qui vivent in mundi fine tempore immediate praecedente iudicium, qui tamen brevissima morte corripiendi sunt, conc. qui tunc vivent nec ante iudicium morituri sint, neg.

SCHOLION.

De proprietatibus mortis.

Dico I. Mors hominibus unica existit, quae est terminus viae.

6. **Nota.** Dicitur stricte status viae, praesentis vitae cursus in quo homines per propria opera bona vel mala aut condignum et aeternum praemium in coelo sibi merentur, aut justissimum et perpetuum in inferno supplicium sibi acquirunt. Animae purgatorii possunt late dici esse in via, quia nondum ad terminum pervenerunt. Thesis intellecta per se et de lege ordinaria est de fide, nam absolute semel mortuus potest mereri, si ad vitam divina omnipotentia restituatur, ut nonnumquam intercessione B. Virginis et Sanctorum factum esse narrant historiae. Negarunt priscilianistae, origenistae (saec. IV), albigenses (saeculo XIII) et moderni spiritistae qui cum pithagoricis et judaeorum pharisaeis admittunt, licet variant in modo, transmigrationem animarum.

Prob. 1.º Ecclesiastes (2). *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* S. Paulus ad Hebraeos (3). *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Sed ex his testimoniis constat mortem esse unicam, et nonnisi in vita posse homines operari prout oportet ad vitam aeternam consequendam. Ergo... Probatur etiam ex Scriptura, quia in ea retributio operum semper dicitur esse in ordine ad opera hujus vitae ut videre est in II.º Corint. V, 10. Ecclesiastici, XI, 28; Luc. XVI, 19.

2.º Traditione. Concil. gener. V Constantinop. II, can. 1. habet: «Si quis fabulosam animarum praeeistentiam et quae ex illa consequitur monstruosam restitutionem asseruerit; A. S.» In regulis fidei quas tradit Vigilius Tappensis (4) in lib. 6. de *Trinitate*. cui titulus de Beatitudine fidei et proscriptio sectae pessimae, haec regula habetur. «Si quis confitetur animas hominum in revolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus aut in serpentibus verti, anathema illi.» Ex PP. S. Hieronymus in verba illa Ecclesiastes (5): *Melior est canis vivus leone mortuo*, sic loquitur: «Donec vivant homines posse fieri justos; post mortem vero nullam boni operis dari occasionem... viventes possunt bona opera (i. e. meritoria) perpetrare;

(1) Suppl. Q. 78, a. 1, ad 1.—(2) IX, 10.—(3) IX, 27.—(4) Episcopus Tappensis, tempore Zenonis, saec. V, an. 484.—(5) IX, 4.

»mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel tulere de vita.» S. Hilarius (1). «Non enim confessio peccatorum, nisi in hujus saeculi tempore est, dum voluntati suae unusquisque permisus est, et per vitae licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita, simul et de jure decedimus voluntatis.»

4.° Ratione, qua congruitas et sapientia legis divinae statuentis viae terminum in morte, demonstratur, non vero necessitas, cum absolute possent animae post mortem mereri. a) Deus ut legislator sapientissimus et rectissimus, eas debuit instituere leges quibus homines necessarium esse recte agere dum viverent, sibi persuaderent. Sed ad hoc necessarium fuit semel mori et mortem stabilire tamquam terminum meriti aut demeriti. Ergo... *Min.* constat quia, aliter homines spe emendandi errata in alia vita, salutis aeternae curam nullam haberent.

b) Si ita non esset, rueret Ecclesiae sacramentorum necessitas, cum deinde post mortem quisque posset sibi beatitudinem comparare, quod dici nequit.

c) Cum homo praemium aut poenam etiam in corpore suscipiat, conveniens est, ut dum hic cum corpore vivit etiam merita aut demerita sibi acquirat.

d) Speciatim contra negantes unicam mortem et transmigracionem asserentes, quia corrueret dogma de peccato originali; nam ante Adam jam existerent spiritus hominum qui peccassent, ac proinde peccatum primo in hunc mundum, per Adam non intrasset et causa deesset ut in suos posteros propagaretur. Etiam, quia ut demonstravimus (2), anima est forma substantialis corporis, ergo non ante producitur naturaliter quam sit corpus et homo fiat, nec homine moriente aliud corpus postulat. Denique in contraria hypothesis unio animae et corporis ut poenalis esset violenta, inde saltem non esset grave malum suicidium et homicidium, quae in meliorem vitam transferrent hominem, eum a carcere hujus mundi eductura. Sed haec omnia absurda sunt et contra sensum communem. Ergo...

7. Obj. 1.° Cum origenistis ex Sapientia (3): *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus veni ad corpus incoquinatum. — Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sed venire in corpus incoquinatum, importat corporis mutationem; et animam corpore aggravari, terrena inhabitatio deprimi, significant corpus esse animae carcerem. Ergo...

Resp. ad 1.° Explico sensum. Veni in corpus incoquinatum, i. e. crescens aetate et bonitate perveni ad perfectam castitatis observationem; conc. Mutavi corpus, neg. Antequam sapiens veniret in corpus incoquinatum, jam erat puer ingeniosus illo corpore praeditus in quo sortitus erat animam bonam, vi cujus ipsum acceptum corpus servavit immaculatum.

Resp. ad 2.° Aggravat per se neg. per accidens ratione miseriarum quas peccatum attulit; conc.

(1) In Ps. LI, 23.—(2) Disq. II. De primaevo stat. hom. Thes. VIII.—(3) VIII, 19, 20. IX, 15.

Obj. 2.° Interrogaverunt Jesum discipuli (1). *Rabbi quis peccavit hic aut parentes ejus, ut caecus nasceretur?* et in Matth. (2). Jesu quaerenti: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* discipuli responderunt: *alii Eliam, alii Jeremiam,* etc. Sed nec primo, cum supponerent discipuli hominem propter peccatum proprium nasci caecum, nec secundo respondentes juxta opinionem transmigracionis animarum, eos sicut nec judaeos reprehendit Jesus. Ergo.

Resp. 1.° Nego suppositiones, *min.* quia re vera poterat caecitas puero infligi propter peccata parentum, licet fuerit inflicta ut revelaretur gloria Christi Dei. Populus judaeus credebat resurrexisse aliquem ex prophetis quos nominabat.

Resp. 2.° Permissa non concessa *minore* quoad alteram suppositionem nego *conseq.* quia scopus Christi non erat tunc hunc errorem dedocere, sed gloriam suam revelare et Petri confessionem obtinere.

8. Dico II. Mors per se est prorsus incerta, quoad sua adjuncta loci, temporis, causae caeterarumque ipsius conditionum.

Ita seclusa revelatione vel speciali providentia, constat 1.° ex Ecclesiaste (3): *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit,* et Luca (4): *Estote parati quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.*

2.° Ex PP. S. Gregorius (5) ait: «Quia ergo et futurae mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem, temporum indulta rapiamus. Sic enim, mors ipsa cum venerit vincetur, si prius quam veniat semper timeatur.»

3.° Convenientia hujus providentiae prob. Mors est terminus hujus vitae ac probationis. Sed homini plurimum convenit ut hujusmodi terminus ipsum lateat: quia hac moriendi incertitudine vehementer inducitur a) ad libidinem peccandi in se ipso compe-scendam; b) ad fugiendum peccatum, et si in eo incideret, ad resurgendum; c) ad se frequenter in virtutum actibus exercendum; d) ad insequendam strenue virtutis semitam, futurarum tentationum metu non territus. Sed haec omnia sunt homini summae utilitatis. Ergo...

Ex his S. Chrysostomus (6): «Videte quam multa sint lucra et his plura, ex eo quod ignoretur decessus... Propterea tamquam fur sic venit in nocte, ne nos in vitium praecipites demus, ne in socordiam, ne merces nobis amputetur.»

THESIS II.

Singuli homines statim in morte sua a Christo Domino judicantur.

(1) Joann. IX, 2.—(2) XVI, 18.—(3) IX, 12.—(4) XIII, 40.—(5) Homil. 13 in evang.—(6) Hom. 9 in I ad Thessalon.

9. *Nota.* Judicium prout hic sumitur est actus, quo Christus D. jus dicit in singulos morientes homines, ut pro suis meritis praemium vel poena reddatur. Hoc judicium particulare negarunt aliqui veteres (1) et inter recentiores Lutherus et Calvinus. Thesis quatenus dicit homines judicandos in morte est catholica veritas; quatenus vero dicit hoc judicium a Christo D. definiendum, est juxta Suarium (2) probabilior et magis pia sententia contra aliquos quos referemus in secunda parte.

10. I.^a Pars. Prob. 1.^o Ecclesiasticus ait (3): *In die bonorum ne immemor sis malorum: et in die malorum ne immemor sis bonorum: quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Lucas (4): *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Ex quibus sic: ergo post mortem unicuique fit retributio praemiorum et poenarum juxta merita vel demerita. Sed retributio, etc., supponit judicium. Ergo... Prob. etiam ex Apostolo (5): *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Sed hic est sermo de judicio particulari, non de universali, ut aliqui graves auctores cum Oecumenio volunt. Ergo... *Min.* prob. Tum quia Apostolus nullam moram interponit inter mortem hominis et hoc judicium, ac proinde rectius et litteraliori modo intelligetur de judicio particulari, tum etiam quia ita sentiunt Patres ut constabit ex dicendis.

2.^o Benedictus XII (6) definivit «mox post mortem suam et »purgationem (animae quae eam indiguerint)... fuerunt, sunt et »erunt in caelo,» et de damnatis «mox post mortem suam ad inferna descendunt.» Sed retributio et poenitentia supponunt judicium. Ergo... S. Ambrosius (7) ait: «Statutum est hominibus semel »mori, et post mortem judicabitur unusquisque juxta merita sua.» S. Ephrem (8): «Anima peccatoris cum timore e corpore recedat et tremebunda abibit, statuenda ad tribunal immortalis Judicis.» S. Chrysostomus (9): «Sicut illi qui e carceribus »educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur: sic »omnes animae cum hinc emigraverint, variis peccatorum catenis »implicatae ad terribile illud ducentur tribunal.» S. Augustinus (10): «Illud rectissime et valde salubriter credit, (Victor) judicari animas cum de corpore exierint... Quis adversus Evangelium

(1) Millenarii, Lactantius. De divin. institut. L. 7, c. 21; Cophti; Nestoriani.—(2) De myst. vitae Christi, D. 52, sect. 2, n. 13.—(3) XI, 27-28.—(4) XVI, 22.—(5) Hebrae. IX, 27.—(6) Const. *Benedictus Deus*.—(7) In Hebrae c. IX.—(8) Tract. de *Beatitudine*.—(9) Homil. 14 in Matth.—(10) De *anim. et ejus orig.* L. 2, n. 8.

»tanta mentis obstinatione obsurdit, ut in illo paupere, qui post »mortem ablatum est in sinum Abrahae, et in illo divite, cujus in »inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat?»

3.^o Ratione a) ex D. Thoma (1): «Quilibet homo et est singularis quaedam persona et est pars totius generis humani, unde »et duplex ei judicium debetur. Unum singulare quod de eo fiet »post mortem, quando recipiat juxta ea, quae in corpore gessit, »quamvis non totaliter, quia non quoad corpus sed quoad animam »tantum; aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars »totius generis humani.» b) Ex Suario (2): «Tempus merendi »vel demerendi cum vita finitur; ergo tunc est accommodatissimum tempus, ut unusquisque de propriis actibus judicetur, quia »nihil est cur amplius differatur. Cur enim animae tantopere affligerentur non solum diu operantes, sed etiam incertae de salute »sua existentes, maxime cum ea afflictio nihil eis ad salutem prodesse possit? Cur etiam fere toto illo tempore essent aequales »justi et peccatores in statu illo formidinis et dubitationis pleno?»

11. II.^a Pars. A Christo D. pro qua nota: Ante D. N. Jesu Christi adventum et mortem, judex fuit in particularibus hominum judiciis Deus unus et trinus ita ut una persona divina prae aliis non judicaret, sed totae tres aequaliter, illa auctoritate et potestate principali absoluta et suprema, quae solius Dei est propria. Sed post Christi adventum ejusque gloriosam resurrectionem, cum Christus D. N. accepit a Patre omnem potestatem probabiliter putamus hoc judicium fieri a Christo D. qui (3): *constitutus est Judex vivorum et mortuorum* sine exceptione, contra aliquos docentes, hoc judicium Angelis esse commissum, ab ipsisque exerceri, olim quidem nomine Dei, nunc vero nomine Christi Jesu (4).

Prob. 1.^o Ex Scriptura (5): *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Sed omne judicium acceptum a Patre, quia Filius hominis est, importat omne judicium tum universale, tum particulare exerceri a Christo seu Homine Deo. Ergo... Etiam probatur ex illis Scripturis in quibus mortis hora significatur per adventum Filii hominis, utique ad judicandum: sic apud Lucam (6): *Et vos estote parati quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Vide etiam Joann. XIV, 3; I.^a Thimoth. VI, 14; Apocalyp. III, 14; XVI, 15.

(1) Suppl. Q. 88, a. 1 ad 1.—(2) De myst. V. Christi. D. 52, sect. 2, n. 6.—(3) Act. X, 42.—(4) Ex his auctoribus alii volunt esse judicem S. Michaellem. Nieremberg. De patrociniis S. Michaelis; c. 13; alii Angelum custodem, Tiranus in III, Zachar.—(5) Joann. V, 22-27.—(6) XII, 40.